


bis ab 1531. vsq; ad 1548. descriptum. Deinde de super propositum seu presentem eius Anni mensem, ibidem singulos gradus pro mensibus computando. Debetq; illic index semel adfixus cera, totum mensem currentem immotus manere.

Typus illius cum suo indice huiusmodi est



PROPOSITIO DECIMASEXTA.

¶ Indicem quoq; horarium indicare.

NElongius progrediamur indicem nunc postremo horarium velut digito demonstramus, ille porro inscriptus est litera D. Cæteris omnibus longior & eminentior aliquanto, numerosq; continet quadruplices, quorum quisq; & penes indicem principium suum habet atq; illius oppositum, & ab .i. progreditur vsq; in .5. At per medium orbis, quo voluitur index, linea ducta est illum diuidens in partes duas, In quarum altera præter numeros & gradus adscripta quoq; latitudo est Lunæ meridionalis, & significat Lunam (indice illuc cadente) a Solis via versus meridiem declinare. Idem index in vsu subsequenti sæpenumero Index horarius appellatur.

Indicis huius en hanc tibi figuram,



CONCLUSIO PRIMAE PARTIS ILLIVS LIBRI.

Intellectis iam Circulis, orbibus, lineis, cæterisque id genus ductibus singulis, si instrumentum propositum componere voles & adfigere, Consultum fuerit te prius orbis illos singulos (sicut supra memorauimus) vel triplicata etiam papiro aut quacumq; alia materia magis condensatos, iusto deinceps ordine quem & hactenus describendo obseruauimus, alium super alium compositè collocare. Et quia tum Quadrantes ex vtraq; sua parte tum rotulæ quælibet, ipsiq; adeo indices in medio orbiculos habent, noris ad eorum magnitudinē singulos orbis esse perforandos, & per illud foramen clauum siue stanneum siue ex quacumq; alia materia, qui transeat, esse conficiendum, Clauus vero & ipse foramen paruum habeat, omnino penetrans, amplitudine pennæ anserinæ satis densæ. Deinceps quum iam ille orbis singulos, ipsosq; indices firmiter continet, vt sic melius cohereant, nec possit orbium alius ab alio decidere. Statim tu quadrantem vtrumq; faciem nimirum & tergum subtili & in hoc parato asseri vtrinque adglutinabis, piñacidia quoque impones diligenter, ac tunc demum, sicut iam declarauimus, orbis cum clauo perspicuo illi infiges, Et sic habebis instrumentum illud hoc modo ad vsum paratum.

PARS SE